



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Codex traditionvm Corbeiensivm**

**Falcke, Johann Friedrich**

**Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752**

§. 282. De familiis traditis in villa Breka in pago Wikanavelde et in Aschem  
in pago Logne.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36114**


Ab anno  
879 vsque  
890 im-  
perante  
Karolo  
Crasso et

§. 282.

Tradidit burchard pro emme duas familias unam in *breka* alteram in *aschem.* (a)

§. 283.

Si itaque statuamus, *Ewurwinum*, pro quo hoc loco bona quædam traduntur, fuisse filium *Ewurwini* senioris, *Ewurwinum* senioresem autem fuisse illum *Ewurwinum*, qui in his traditionibus §. 301. deprehenditur, quemque marchionem fuisse prædicant; *Ewurwinus* senior, procurante *Volberto*, bona sua in villa *Brunmanesbus* pro filio suo *Ewurwino* tradidisset ecclesiæ Corbeiensi. Explodat autem id nemo, quod diximus, *Ewurwinum* fuisse stirpis marchionum orientalium. Iam enim supra vidimus, *Thiatmarum* comitem, tempore *Heinrici* aucupis celebrem, in eadem regione, in qua villa nostra *Brunmanesbus* reperitur, bona hereditaria possedisse. Si ergo statuatur, *Ewurwinum* senioresem, fuisse filium *Haddonis* II, *Ewurwinus* fuerit oportet *Volberti* consanguineus, eiusque soror *Hadeburg* consanguinea *Heinrici* aucupis. id quod tabula sequens clarius ponet ob oculos lectoris.



Tempus autem, quo *Ewurwinum* vixisse oportet, nos commouet, ut iam consignationem annorum ad marginem positam mutemus. *Tancmarus*, abbas Corbeiensis, eodem anno, quo ordinatus, est mortuus, scilicet anno 877, et successit ei per electionem *Avo*, qui, Chronico nostro MScto et coætaneo teste, obiit anno 879, in cuius locum eodem anno ordinatus *Bouo*, qui anno 890 e vita exiit. Ne ergo vllum abbatem omittamus, ad marginem præcedentis §. iam adscripsimus *Auonem* abbatem, huic vero et sequentibus §§. *Bouonem* abbatem adiungere volumus, postea rationes addituri, cur ita fecerimus. Cum autem rex *Hludouicus* II anno 882 obierit, testibus Annalibus Rer. Franc. Fuldenf. T. I. Freheri p. 53; *Karolus* imperator de Italia perrexit in Germaniam, audito fratris sui *Hludouici* obitu, regnumque eius suæ adiecit ditioni, atque optimates aduenientes, qui fuerant fratris sui, in suam suscepit fidem. *Karolus* ergo cæsar, cognomento *crassus*, supremus dominus erat Corbeie nostræ ab anno 882 vsque ad annum 887, quo idem imperator depositus est. In eius locum electus *Arnolfus*, Annal. cit. p. 61. et Chronico nostro MScto et coætaneo testibus.

De villa  
Breka in  
pago Wi-  
kanuel-  
de.  
De villa  
Aschem.

- (a) *Breka* villa erat, testante nostro Registro, in pago *Wikanuelde*. Designatur vicus *Brack*, cuius ecclesia filia est ecclesiæ oppidi *Stadt Oldendorp* in ducatu *Brunswicensi*; *Aschem* vero villa, eodem teste Registro, fuit in pago *Logne*. Probabilissime indicatur vicus *Asche* sub præfectura *Hardessen* in principatu *Görttingensi*. E donis et nomine concludimus, *Burchardum* referendum esse ad progenitores comitum *Northheimensium*. Cum enim in eadem regione *Northheimenses* et *Dasselienenses* comites bona sua hereditaria habuerint, ut iam supra §. 104. didicimus, nec non *Sifridus* I filium habuerit, nomine *Burchardum*; verisimillimum erit, *Burchardum* nostrum ad eandem quoque gentem spectasse, et *Burchardum* a propatruo suo nomen suum accepisse. Quamuis itaque *Burchardus*